

TIADMARVS VANDALORVM APOSTOLVS.



Tiadmarus optimæ spei adolescens in Bremen si urbe S. Vicelinum præceptorem habuit, atque sub eo plurimum profecit. Postea eundem in Franciam & tandem in Vandaliam secutus, laborum & officiorū socius fuit. In eo uitæ genere adeo inclinatus, ut Bremensis ecclesia eum sibi Decanum eligeret. Verum aliquandiu ibi honestè commoratus in Vandaliam reuocatus est, ut labentem Christianorum religionem sua prædicatione restauraret. Post aliquot etiā annos Cusalinum missus, quem & Hagerstorp dicitur, Euangelium annunciauit, & falsos Vandalorum antistites confutauit. In primis autem peregrinos & pauperes fouebat, atque in suam domum recipiebat, anno 1140. Cum hoc modo dextre pergeret, atque Adolpho eius regionis comiti gratissimus esset, tandem Vandalorum ille apostolus obiit, atque apud Martipolim sepultus fuit. Crantz.lib.4. cap.16.